

XI

AD PETTIVM CONTVBERNALEM SVVM

Iambico-Archilochio-iambicus

Pettī, nihil mē, sicut antea, iuvat
Scribere versiculōs
amōre percussum gravī :

Amōre, quī mē praeter omnēs expetit
Mollibus in puerīs
aut in puellis ūrere.

Hic tertius December, ex quō dēstitī
Inachiā furere,
silvīs honōrem dēcutit.

Heu ! mē, per Urbem (nam pudet tantī malī)
Fābula quanta fūī !
Convīviōrum et paenitet,

In quīs amantem languor et silentium
Arguit et latere
petītus imō spīritus.

‘Contrāne lucrum nīl valēre candidum
Pauperis ingenium ?’
querēbar applōrāns tibi,

Simul calentis inverēcundus deus
Fervidiōre merō
arcāna prōmōrat locō.

‘Quodsī meīs inaestuet praecordiīs
Lībera bīlis, ut haec
ingrāta ventīs dīvidat

Fōmenta, vulnus nīl malum levantia,
Dēsinet imparibus
certāre summōtus pudor.’

Vbi haec sevērus tē palam laudāveram,
Iussus abīre domum,
ferēbar incertō pede

Ad nōn amīcōs (heu !) mihī postēs et (heu !)
Līmina dūra, quibus
lumbōs et infrēgī latus.

Nunc, glōriantis quamlibet mulierculam
Vincere mollitiē,
amor Lyciscī mē tenet :

Vnde expedīre nōn amīcōrum queant
Lībera cōnsilia,
nec contumēliae gravēs ;

Sed alius ardor aut puellae candidae,
Aut teretis puerī,
longam renōdantis comam.